

cum omnibus terris, castris, villis, oppidis & aliis utilitatibus, seu dominiis plenis, Excellentissimo Principi Domino Karulo Regi dicti Regni Hungariae & suis haeredibus, non metu, neque vi per quempiam coacti, sed sponte, pure & simpliciter, reddimus, restituimus, remittimus & resignamus, nihil juris, nihilque proprietatis vel domini in eisdem, vel aliquo eorum, nobis vel nostris haeredibus reservando, imo omni juri, si quod in ipso districtu, terris, villis, castris seu oppidis habuissemus, renunciantes, litterasque & instrumenta quaelibet exinde confectas, si quas obtinuimus & reservavimus reddentes, cassas, frivolas, & per omnia carituras viribus & vigore. Datum in Pruk undecimo Kalendas Octobris. Anno Domini Millesimo trecentesimo vigesimo octavo.

(Sigillum pendens.)

Tenor Intitulationis:

Super Districtu inter Fluvios Drava et Mura existente Regi Carolo remisso.

Originalis membr. a Comite Keglević Comiti Festetić cessa, inque Archivio hujus asservata.

LXXXIII.

Anno 1329. mense Julio. In Vissegrad.

Carolus Robertus Rex privilegia, civibus Zagrabiensibus collata, iterum confirmat.

Karolus, dei gracia Rex Hungarie, fidelibus suis Zagrabiensis et Chas-mensis Ecclesiarum Capitulis salutem et gratiam. Quia libertas fidelium civium nostrorum de ciuitate Zagrabiensi seu Grecyensi, per dominum Belam condam Regem hungarie chare memorie, mediante priuilegio suo, eis concessa et per nos eisdem pro ipsorum seruitijs meritorijs confirmata, hoc requirat, quod dicti ciues et ad eos pertinentes, vel aliquis ex eisdem, non ad nostram vel aliquorum aliorum Judicum aut Justiciariorum Regni nostri, preterquam in antea Judicum seu villicorum eiusdem ciuitatis citari debeant presenciam. Quod solum Judicem aut Justiciarios dicte ciuitatis pro eo, si cuicunque in antea iusticiam facere denegauerint uel neglexerint, ad nostram presenciam debeant euocari. Idem vestre fidelitati precipimus firmiter per presentes, quatenus, quicunque litteras nostras citatorias uel aliorum quorumlibet Judicum Regni nostri, contra predictos ciues nostros et ad eosdem pertinentes uel aliquem ex ipsis uobis exhibuerint, testimonium seu vero hominem ad citandum ipsis postulantibus vel aliquem ex eisdem preterquam ad citandum Judicem ipsorum, vt premittitur, cuiquam in antea dare